SEPTEM PSALMI

PŒNITENTIALES

SEPTEM

PSALMI PŒNITENTIALES.

FIDE

ET LITERIS.

SEPTEM PSALMORUM PŒNITENTIALIUM VERSIO ELEGIACA,

FACTA A

RICHARDO JOHNSON WALKER.

EDITIO ALTERA.

VENIT APUD SAMUEL BEWSHER, LONDINI,
SCHOLÆ PAULINÆ BURSARIUM.

Ex Typographia
WERTHEIMER, LEA ET SOCIORUM, LONDINI.

MCMV.

EPISTOLA DEDICATORIA.

(SCRIPTA LONDINI, A.D. MDCCCXCVII.)

Optimo et Doctissimo Viro, JOSEPH HIRST LUPTON, D.D., Submagistro Scholæ Paulinæ, olim a COLETO fundatæ in Honorem Jesu in Puericiâ et Beatæ Matris Mariæ (Quorum in Honorem hæc Carmina et ipse condo), qualecunque hoc Opusculi a Scriptore humiliter dedicatur.

Tu mihi præceptor puero carusque magister,
  Tu me nunc etiam docte docere virum,
Accipe de sacris quæ verti carmina chartis,
  Carmina præcipuo jure dicanda tibi.
Per te quippe patet sancti pia vita Coleti
  (Ingenio plenum, plenum opus officio),

Qui jussa ipse suæ dedit hæc servanda
juventæ,
Jussa dedit, dextrâ scripsit et ipse suâ.
"Vadite" ait "bini: bini procedite pompis,
Et septem psalmos dicite voce piâ.
Dicite, neu cantate: procul sonus esto
canentûm:
Tunc septem psalmis addite rite preces."
Nunc plateis passim psalmi tacuere: Coleti
Irrita (si bona sunt irrita) verba cadunt.
Ipsi non possunt psalmi siluisse
silentes:
Scilicet in multo nunc quoque corde
sonant.
Namque vigent vel adhuc divini carmina
vatis,
Et cedunt arti scripta profana sacræ.

Hæc equidem volui dare carmina versa
Latinè,
Quo majus nemo vertere posset opus.
Versibus indulge: mitis mihi corrige
mendas:
Sæpius auctorem plurima menda latet.
Hoc modo ne quæras, cur tentem scribere
versus:
Id, versus qui non scripsit, amice,
roget.

R. J. W.

תפלות ז׳

תהלים ו׳

לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹת עַל־הַשְּׁמִינִית מִזְמוֹר
לְדָוִד׃ יְהוָה אַל־בְּאַפְּךָ תוֹכִיחֵנִי וְאַל־
בַּחֲמָתְךָ תְיַסְּרֵנִי׃ חָנֵּנִי יְהוָה כִּי אֻמְלַל
אָנִי רְפָאֵנִי יְהוָה כִּי נִבְהֲלוּ עֲצָמָי׃ וְנַפְשִׁי
נִבְהֲלָה מְאֹד וְאַתָּ יְהוָה עַד־מָתָי׃

SEPTEM
PSALMI PŒNITENTIALES.

Psalmus VI.

Hoc carmen in usum choragi fidicinum, quàm gravissimè psallendum, scripsit David.

MITTE precor paullum, Deus indignate, furores,
Neu castigâris, dum flagrat ira, tuum.
At miserere mei, nihil o miserere potentis,
Vexatumque imis ossibus ipse leva.
Mens quoque, me miserum, curis onerata laborat.
Supplicio finis non datur ulla meo?

שׁוּבָה יְהוָה חַלְּצָה נַפְשִׁי הוֹשִׁיעֵנִי לְמַעַן
חַסְדֶּךָ : כִּי אֵין בַּמָּוֶת זִכְרֶךָ בִּשְׁאוֹל מִי יוֹדֶה־
לָּךְ : יָגַעְתִּי בְּאַנְחָתִי אַשְׂחֶה בְכָל־לַיְלָה
מִטָּתִי בְּדִמְעָתִי עַרְשִׂי אַמְסֶה : עָשְׁשָׁה מִכַּעַס
עֵינִי עָתְקָה בְּכָל־צוֹרְרָי : סוּרוּ מִמֶּנִּי כָּל־
פֹּעֲלֵי אָוֶן כִּי־שָׁמַע יְהוָה קוֹל בִּכְיִי : שָׁמַע
יְהוָה תְּחִנָּתִי יְהוָה תְּפִלָּתִי יִקָּח : יֵבֹשׁוּ
וְיִבָּהֲלוּ מְאֹד כָּל־אֹיְבָי יָשֻׁבוּ יֵבֹשׁוּ רָגַע :

Lenior at, quæso, venias, vitamque ministri
Defendas, si te flectere vota valent.
Quis memor esse tui poterit post fata, tibique
Pars quota, quæ grates trans Styga reddat, erit ?
Fessus eo gemitu, nec dant solatia noctes;
Et lachryma in medium multa cubile cadit.
Siqua fuit nobis, mutârunt tædia formam,
Dumque hostes numero, fugit ab ore decor.
Ite procul, procul ite, levis male turba, profani.
Audiit en fletus, audiit ipse meos.
Audiit orantis nostram Deus ipse querelam:
Accipiet nostras jam Deus ipse preces.
Mox etiam victus siqui modo sæviit hostis
Terga dabit, fastus excipietque pudor.

תהלים ל״ב

לְדָוִד מַשְׂכִּיל אַשְׁרֵי נְשׂוּי־פֶּשַׁע כְּסוּי
חֲטָאָה׃ אַשְׁרֵי אָדָם לֹא־יַחְשֹׁב יְהוָה לוֹ עָוֺן
וְאֵין בְּרוּחוֹ רְמִיָּה׃ כִּי הֶחֱרַשְׁתִּי בָּלוּ עֲצָמָי
בְּשַׁאֲגָתִי כָּל־הַיּוֹם׃ כִּי ׀ יוֹמָם וָלַיְלָה ׀ תִּכְבַּד
עָלַי יָדֶךָ נֶהְפַּךְ לְשַׁדִּי בְּחַרְבֹנֵי קַיִץ סֶלָה׃
חַטָּאתִי אוֹדִיעֲךָ וַעֲוֺנִי לֹא־כִסִּיתִי אָמַרְתִּי
אוֹדֶה עֲלֵי פְשָׁעַי לַיהוָה וְאַתָּה נָשָׂאתָ עֲוֺן
חַטָּאתִי סֶלָה׃

Psalmus XXXII.

Institutio David.

O FORTUNATI, quibus impia facta piavit,
Et, quot erant, culpas abluit ipse Deus:
Felicesque, nefas queis non ille imputat ullum,
Ima quibus turpi pectora fraude carent.
Ipse ego dum sileo, consumpsit cura medullas,
Et taciti questus tædia longa movent.
Me tua dextra die medio, me nocte fatigat:
Torreor ut rapidis solibus usta seges.
At tibi, nam peccâsse piget, peccata fatebor:
Quot reus admisi crimina, nulla tego.
Ut dixi "fateor memet, Deus, esse nocentem,"
Continuo purgas meque nefasque meum.

עַל־זֹאת יִתְפַּלֵּל כָּל־חָסִיד ׀ אֵלֶיךָ
לְעֵת מְצֹא רַק לְשֵׁטֶף מַיִם רַבִּים אֵלָיו
לֹא יַגִּיעוּ׃ אַתָּה סֵתֶר לִי מִצַּר תִּצְּרֵנִי
רָנֵּי פַלֵּט תְּסוֹבְבֵנִי סֶלָה׃ אַשְׂכִּילְךָ ׀ וְאוֹרְךָ
בְּדֶרֶךְ־זוּ תֵלֵךְ אִיעֲצָה עָלֶיךָ עֵינִי׃ אַל־
תִּהְיוּ ׀ כְּסוּס כְּפֶרֶד אֵין הָבִין בְּמֶתֶג וָרֶסֶן
עֶדְיוֹ לִבְלוֹם בַּל קְרֹב אֵלֶיךָ׃ רַבִּים
מַכְאוֹבִים לָרָשָׁע וְהַבּוֹטֵחַ בַּיהוָה חֶסֶד
יְסוֹבְבֶנּוּ׃ שִׂמְחוּ בַיהוָה וְגִילוּ צַדִּיקִים
וְהַרְנִינוּ כָּל־יִשְׁרֵי־לֵב׃

Ite Deum, casti, via dum patet, ite vocantes:
Qui vocat, in medio gurgite tutus erit.
Tu mihi eris tegimen, tu me servabis ab hoste,
Et pro servitio carmina læta dabis.
"Ipse" ais "ipse viam monstrans vestigia ducam,
Ipse meis oculis prospeculabor iter.
At fugite exemplum muli vecordis, equique,
Insultaturo cui premit ora lupus."
Sunt sua fata malis: illum Deus æquus amabit,
Divino quisquis numine nisus erit.
Cantet "io" quicunque pius: sacra gaudia sunto:
Integra si cui sunt pectora, cantet "io."

תהלים ל״ח

מִזְמוֹר לְדָוִד לְהַזְכִּיר׃ יְהוָה אַל־בְּקֶצְפְּךָ
תוֹכִיחֵנִי וּבַחֲמָתְךָ תְיַסְּרֵנִי׃ כִּי־חִצֶּיךָ
נִחֲתוּ־בִי וַתִּנְחַת עָלַי יָדֶךָ׃ אֵין־מְתֹם
בִּבְשָׂרִי מִפְּנֵי זַעְמֶךָ אֵין־שָׁלוֹם בַּעֲצָמַי מִפְּנֵי
חַטָּאתִי׃ כִּי־עֲוֺנֹתַי עָבְרוּ רֹאשִׁי כְּמַשָּׂא
כָבֵד יִכְבְּדוּ מִמֶּנִּי׃

Psalmus XXXVIII.

In hoc psalmo mala memoriae commendat David.

MITTE precor justos, Deus indignate, furores,
Neve luam pœnas, dum gravis ira flagrat.
Namque tuæ penitus me vexavere sagittæ,
Sensimus et dextram pondus habere tuam.
Te, Deus, increpitante, salus mea membra reliquit,
Perque nefas nostrum deserit ossa quies.
Naufragus ut pelago, scelerum sic gurgite mergor:
Sarcina, me, culpæ, non toleranda, premunt.

הִבְאִישׁוּ נָֽמַקּוּ חַבּוּרֹתָֽי מִפְּנֵי אִוַּלְתִּֽי׃

נַעֲוֵיתִי שַׁחֹתִי עַד־מְאֹד כָּל־הַיּוֹם קֹדֵר

הִלָּֽכְתִּי׃ כִּֽי־כְסָלַי מָֽלְאוּ נִקְלֶה וְאֵין מְתֹם

בִּבְשָׂרִֽי׃ נְפוּגֹתִי וְנִדְכֵּיתִי עַד־מְאֹד שָׁאַגְתִּי

מִֽנַּהֲמַת לִבִּֽי׃ אֲדֹנָי נֶגְדְּךָ כָל־תַּאֲוָתִי

וְאַנְחָתִי מִמְּךָ לֹֽא־נִסְתָּֽרָה׃ לִבִּי סְחַרְחַר

עֲזָבַנִי כֹחִי וְאוֹר עֵינַי גַּם־הֵם אֵין אִתִּֽי׃

Vulnera olent et tabe gravi corrupta putrescunt:
Stultitiæ tanta est addita pœna meæ.
Tradimur ærumnis et amaro præda dolori:
Conscia mœrorum est orta cadensque dies.
Morbus habet lumbos, nullâ medicabilis arte:
Pars nulla in toto corpore sana meo est.
Innumeris frangor curis, viresque recedunt.
Ah quoties gemitus edidit ipse dolor!
Tu desiderium nôsti, Deus, omne precantis,
Inque tuas aures nostra querela venit.
Anxia corda micant, neque habent sua robora nervi:
Non oculis nunc est, qui fuit ante, vigor.

אֹהֲבַ֨י ׀ וְרֵעַ֗י מִנֶּ֣גֶד נִגְעִ֣י יַעֲמֹ֑דוּ וּ֝קְרוֹבַ֗י
מֵרָחֹ֥ק עָמָֽדוּ׃ וַיְנַקְשׁ֤וּ ׀ מְבַקְשֵׁ֬י נַפְשִׁ֗י
וְדֹרְשֵׁ֣י רָ֭עָתִי דִּבְּר֣וּ הַוּ֑וֹת וּ֝מִרְמ֗וֹת
כָּל־הַיּ֥וֹם יֶהְגּֽוּ׃ וַאֲנִ֣י כְ֭חֵרֵשׁ לֹ֣א אֶשְׁמָ֑ע
וּ֝כְאִלֵּ֗ם לֹ֣א יִפְתַּח־פִּֽיו׃ וָאֱהִ֗י כְּ֭אִישׁ אֲשֶׁ֣ר
לֹא־שֹׁמֵ֑עַ וְאֵ֥ין בְּ֝פִ֗יו תּוֹכָחֽוֹת׃ כִּֽי־לְךָ֣ יְהוָ֣ה
הוֹחָ֑לְתִּי אַתָּ֥ה תַ֝עֲנֶ֗ה אֲדֹנָ֥י אֱלֹהָֽי׃ כִּֽי־
אָמַ֗רְתִּי פֶּֽן־יִשְׂמְחוּ־לִ֑י בְּמ֥וֹט רַ֝גְלִ֗י עָלַ֥י
הִגְדִּֽילוּ׃

Stant contemplantes casusque tuentur amici,
Et consanguineis linquor ab ipse meis.
Mors ex insidiis struitur mihi, meque quot horis
Objurgant hostes, concipiuntque dolos.
At surdum insimulant, neque me convicia tangunt:
At muto contra reddimus ore nihil.
Auribus ut captos, sic nos sonus effugit omnis;
Nec vult criminibus lingua referre vicem.
Namque tuum est nobis spes et fiducia numen:
Orabis causam tu, Deus, ipse meam.
Ne modo de nobis hosti concede triumphos,
Lætitiæ lapso cui pede causa fui.

כִּי־אֲנִי לְצֶלַע נָכוֹן וּמַכְאוֹבִי נֶגְדִּי

תָמִיד : כִּי־עֲוֺנִי אַגִּיד אֶדְאַג מֵחַטָּאתִי :

וְאֹיְבַי חַיִּים עָצֵמוּ וְרַבּוּ שֹׂנְאַי שָׁקֶר :

וּמְשַׁלְּמֵי רָעָה תַּחַת טוֹבָה יִשְׂטְנוּנִי תַּחַת

רָדְוֹפִי־טוֹב : אַל־תַּעַזְבֵנִי יְהוָה אֱלֹהַי

אַל־תִּרְחַק מִמֶּנִּי : חוּשָׁה לְעֶזְרָתִי אֲדֹנָי

תְּשׁוּעָתִי :

Plurima me cingit pestis, genus omne malorum,
Et meus ante oculos stat sine fine dolor.
Ergo tibi supplex, quot sunt, delicta fatebor.
Scilicet et lachrymis impia facta luam.
Viribus at vivunt hostes et honoribus aucti:
Quippe odio multis nos sine jure sumus.
Detestantur item siqui bona fraude rependunt:
Namque sequor rectum justitiamque colo.
Tu modo, tu noster, mecum, Deus, ipse maneto:
Tu, precor, a servo ne procul ire velis.
Auxilium propera, Deus, et succurre vocanti,
O sine quo non est ulla futura salus.

תהלים נ״א

לַמְנַצֵּחַ מִזְמוֹר לְדָוִד׃ בְּבוֹא־אֵלָיו נָתָן
הַנָּבִיא כַּאֲשֶׁר־בָּא אֶל־בַּת־שָׁבַע׃ חָנֵּנִי
אֱלֹהִים כְּחַסְדֶּךָ כְּרֹב רַחֲמֶיךָ מְחֵה פְשָׁעָי׃
הֶרֶבֹה כַּבְּסֵנִי מֵעֲוֺנִי וּמֵחַטָּאתִי טַהֲרֵנִי׃
כִּי־פְשָׁעַי אֲנִי אֵדָע וְחַטָּאתִי נֶגְדִּי תָמִיד׃
לְךָ לְבַדְּךָ ׀ חָטָאתִי וְהָרַע בְּעֵינֶיךָ עָשִׂיתִי
לְמַעַן־תִּצְדַּק בְּדָבְרֶךָ תִּזְכֶּה בְשָׁפְטֶךָ׃ הֵן־
בְּעָווֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי׃ הֵן אֱמֶת
חָפַצְתָּ בַטֻּחוֹת וּבְסָתֻם חָכְמָה תוֹדִיעֵנִי׃

Psalmus LI.

Ità in usum choragi scripsit David, quùm, postquàm ad Bethsabee intravit, visitatus foret a Nathan prophetâ.

NUMINE tu nostri mitis miserere benigno,
Deleat et culpam gratia larga, Deus.
Peccato venias me purgaturus ab omni,
Quæque mihi vitiat pectora, tolle luem.
Confiteor peccata, Deus, nec facta negavi:
Ante oculos culpæ sunt sine fine meæ.
Uni facta tibi est nostris injuria noxis:
Pœnam igitur pleno dicere jure potes.
Sum reus usque ex quo prima artubus addita forma est:
Ut me concepit mater, iniquus eram.
Corda at tu sincera probas: sapientia quæ sit,
Pectore sub tacito tu mihi nôsse dabis.

תְּחַטְּאֵנִי בְאֵזוֹב וְאֶטְהָר תְּכַבְּסֵנִי וּמִשֶּׁלֶג

אַלְבִּין : תַּשְׁמִיעֵנִי שָׂשׂוֹן וְשִׂמְחָה תָּגֵלְנָה

עֲצָמוֹת דִּכִּיתָ : הַסְתֵּר פָּנֶיךָ מֵחֲטָאָי וְכָל־

עֲוֺנֹתַי מְחֵה : לֵב טָהוֹר בְּרָא־לִי אֱלֹהִים

וְרוּחַ נָכוֹן חַדֵּשׁ בְּקִרְבִּי : אַל־תַּשְׁלִיכֵנִי

מִלְּפָנֶיךָ וְרוּחַ קָדְשְׁךָ אַל־תִּקַּח מִמֶּנִּי :

הָשִׁיבָה לִּי שְׂשׂוֹן יִשְׁעֶךָ וְרוּחַ נְדִיבָה

תִסְמְכֵנִי : אֲלַמְּדָה פֹשְׁעִים דְּרָכֶיךָ וְחַטָּאִים

אֵלֶיךָ יָשׁוּבוּ :

Te me fronde piâ, Deus, aspergente lavabor,
Et vincam puras purior ipse nives.
Me qua festa sonant epulantum carmina pones,
Ossaque sanabis, quæ modo fracta dabas.
At precor a nostris avertas lumina culpis,
Et me deterso crimine redde pium.
Pura, Deus, rursum facias præcordia nobis,
Sitque piæ menti qui fuit ante tenor.
Nunc quoque te coram, quæso, concede morari:
Numine neu careant pectora nostra tuo.
Sis mihi solamen, Deus, adjutorque labanti,
Instinctûque afflans liberiore fave.
Tunc equidem ignaros recti tua jura docebo,
Inque tuam veniet turba profana fidem.

הַצִּילֵנִי מִדָּמִים ׀ אֱלֹהִים אֱלֹהֵי תְּשׁוּעָתִי
תְּרַנֵּן לְשׁוֹנִי צִדְקָתֶךָ ׃ אֲדֹנָי שְׂפָתַי תִּפְתָּח
וּפִי יַגִּיד תְּהִלָּתֶךָ ׃ כִּי ׀ לֹא־תַחְפֹּץ זֶבַח
וְאֶתֵּנָה עוֹלָה לֹא תִרְצֶה ׃ זִבְחֵי אֱלֹהִים
רוּחַ נִשְׁבָּרָה לֵב־נִשְׁבָּר וְנִדְכֶּה אֱלֹהִים לֹא
תִבְזֶה ׃ הֵיטִיבָה בִרְצוֹנְךָ אֶת־צִיּוֹן תִּבְנֶה
חוֹמוֹת יְרוּשָׁלָםִ ׃ אָז תַּחְפֹּץ זִבְחֵי־צֶדֶק
עוֹלָה וְכָלִיל אָז יַעֲלוּ עַל־מִזְבַּחֲךָ פָרִים ׃

Cædis ut immunis sit dextra, Salutifer, oro:
Justitiam referet sic mea lingua tuam.
Labra, Deus, nobis jamdudum clausa resigna;
Inde tibi exultans carmina grata dabo.
Carmina grata dabo: quin et faceremus ad aram:
Sed nonvis: cordi est victima nulla tibi.
Victima digna Deo mens est sibi conscia culpæ:
Crimina qui fracto flet sua corde, placet.
Sis bonus et felix: tandem miserere tuorum:
Urbi jam tandem mœnia redde tuæ.
Inde piis de more volens adolebere donis:
Inde tuos vitulus concidet ante focos.

תהלים ק״ב

תְּפִלָּה לְעָנִי כִי־יַעֲטֹף וְלִפְנֵי יְהוָה יִשְׁפֹּךְ
שִׂיחוֹ׃ יְהוָה שִׁמְעָה תְפִלָּתִי וְשַׁוְעָתִי אֵלֶיךָ
תָבוֹא׃ אַל־תַּסְתֵּר פָּנֶיךָ ׀ מִמֶּנִּי בְּיוֹם צַר
לִי הַטֵּה־אֵלַי אָזְנֶךָ בְּיוֹם אֶקְרָא מַהֵר עֲנֵנִי׃
כִּי־כָלוּ בְעָשָׁן יָמָי וְעַצְמוֹתַי כְּמוֹקֵד נִחָרוּ׃
הוּכָּה כָעֵשֶׂב וַיִּבַשׁ לִבִּי כִּי־שָׁכַחְתִּי מֵאֲכֹל
לַחְמִי׃ מִקּוֹל אַנְחָתִי דָּבְקָה עַצְמִי לִבְשָׂרִי׃

Psalmus CII.

Oratio pauperis, quùm anxius fuerit et in canspectu Domini effuderit precem suam.

NE precor orantem, Deus, exaudire recusa :
Irrita ne quæso nostra querela cadat.
Oppressos tanto ne nos avertere luctu :
Aurem adhibe precibus (sit mora nulla) meis.
Namque mihi fumo similis consumitur ætas :
Sensimus admotas ossa cremare faces.
Corda jacent nobis, siccique uruntur ad instar
Graminis ; immemores negligimusque cibum.
Semper eunt lachrymæ : finis fit nulla dolendi,
Ægraque vix hærent artubus ossa suis.

דָּמִיתִי לִקְאַת מִדְבָּר הָיִיתִי כְּכוֹס חֳרָבוֹת :

שָׁקַדְתִּי וָאֶהְיֶה כְּצִפּוֹר בּוֹדֵד עַל־גָּג : כָּל־

הַיּוֹם חֵרְפוּנִי אוֹיְבָי מְהוֹלָלַי בִּי נִשְׁבָּעוּ :

כִּי אֵפֶר כַּלֶּחֶם אָכָלְתִּי וְשִׁקֻּוַי בִּבְכִי מָסָכְתִּי :

מִפְּנֵי־זַעַמְךָ וְקִצְפֶּךָ כִּי נְשָׂאתַנִי וַתַּשְׁלִכֵנִי :

יָמַי כְּצֵל נָטוּי וַאֲנִי כָּעֵשֶׂב אִיבָשׁ :

Desertis erro, tanquam pius ales, in oris:
Luctifer ut bubo, per loca sola vagor.
Et vigilo pernox, non dispar passeris, altæ
In summâ secum qui sedet arce domûs.
Me, quam longa dies, inimici tristibus urgent,
Inque caput nostrum, conscia turba, furunt.
Quinetiam turpes edi pro pane favillas,
Salsaque sunt lachrymis pocula facta meis.
Tu mihi tot causa es, Deus indignate, malorum:
Idem effers, idem rursus ad ima trahis.
Acta mihi vita est, dubiâ fugitivior umbrâ:
Quo siccata cadunt gramina more, cado.

וְאַתָּה יְהוָה לְעוֹלָם תֵּשֵׁב וְזִכְרְךָ לְדֹר וָדֹר׃

אַתָּה תָקוּם תְּרַחֵם צִיּוֹן כִּי עֵת לְחֶנְנָהּ כִּי

בָא מוֹעֵד׃ כִּי־רָצוּ עֲבָדֶיךָ אֶת־אֲבָנֶיהָ

וְאֶת־עֲפָרָהּ יְחֹנֵנוּ׃ וְיִירְאוּ גוֹיִם אֶת־שֵׁם

יְהוָה וְכָל־מַלְכֵי הָאָרֶץ אֶת־כְּבוֹדֶךָ׃ כִּי־

בָנָה יְהוָה צִיּוֹן נִרְאָה בִּכְבוֹדוֹ׃ פָּנָה אֶל־

תְּפִלַּת הָעַרְעָר וְלֹא־בָזָה אֶת־תְּפִלָּתָם׃

Te nihil annorum series volvendaque mutant
Sæcula: posteritas te memor usque colet.
Exsurges, Deus, et propriam miseraberis urbem:
Et tempus jamjam, quo misereris, adest.
Tempus adest, nam fracta piis sunt mœnia curæ,
Et polluta sitû saxa videre piget.
Mox et barbaricæ metuent tua nomina gentes,
Et reges sceptrum, sunt quot ubique, tuum,
Urbem quùm rursus, Deus, ædificabis amatam,
Numine divino quùm manifestus eris,
Quùm faciles inopum votis admoveris aures,
Et noles cassam pauperis ire precem.

תִּכָּתֶב זֹאת לְדוֹר אַחֲרוֹן וְעַם נִבְרָא יְהַלֶּל־
יָהּ ׃ כִּי־הִשְׁקִיף מִמְּרוֹם קָדְשׁוֹ יְהוָה
מִשָּׁמַיִם ׀ אֶל־אֶרֶץ הִבִּיט ׃ לִשְׁמֹעַ אֶנְקַת
אָסִיר לְפַתֵּחַ בְּנֵי תְמוּתָה ׃ לְסַפֵּר בְּצִיּוֹן
שֵׁם יְהוָה וּתְהִלָּתוֹ בִּירוּשָׁלָם ׃ בְּהִקָּבֵץ
עַמִּים יַחְדָּו וּמַמְלָכוֹת לַעֲבֹד אֶת־יְהוָה ׃
עִנָּה בַדֶּרֶךְ כֹּחוֹ קִצַּר יָמָי ׃ אֹמַר אֵלִי אַל־
תַּעֲלֵנִי בַּחֲצִי יָמָי בְּדוֹר דּוֹרִים שְׁנוֹתֶיךָ ׃

Carmina nostra legent chartis mandata nepotes,
Posteritasque Deum tempus in omne colet.
Ipse Deus sanctâ cæli prospexit ab arce,
Et summo terras visit ab usque polo.
Visit, uti gemitus captorum audiret, utique
Progenies fato debita salva foret.
Illa manus nomenque Dei veneretur ad aram,
Inque suâ justis augeat urbe sacris,
Tempore quo crebri celebrant solemnia cives,
Et nostrum accedunt ultima regna Deum.
Ipse Deus vitæ mihi devia decurrenti
Imminuit vires et cita fata parat.
Tunc equidem: "Ne me medio mors demetat ævo,
O, cui vita caret fine modoque, Deus."

לְפָנִים הָאָרֶץ יָסַדְתָּ וּמַעֲשֵׂה יָדֶיךָ שָׁמָיִם׃
הֵמָּה ׀ יֹאבֵדוּ וְאַתָּה תַעֲמֹד וְכֻלָּם כַּבֶּגֶד
יִבְלוּ כַּלְּבוּשׁ תַּחֲלִיפֵם וְיַחֲלֹפוּ׃ וְאַתָּה הוּא
וּשְׁנוֹתֶיךָ לֹא יִתָּמּוּ׃ בְּנֵי־עֲבָדֶיךָ יִשְׁכּוֹנוּ
וְזַרְעָם לְפָנֶיךָ יִכּוֹן׃

Ipse olim terræ fundamina firma dedisti,
Et polus est dextrâ fictus et astra tuâ :
Ficta tuâ dextrâ, te non pereunte, peribunt ;
Utque terit vestem, tempus et illa teret.
Quo chlamydem ritû mutes, mutabis et illa :
Ipse manes idem, nec tibi tempus obest.
Ipse tuos auges felici prole ministros :
Stabit posteritas sera favore tuo.

תהלים ק״ל

שִׁיר הַמַּעֲלוֹת מִמַּעֲמַקִּים קְרָאתִיךָ יְהוָה׃

אֲדֹנָי שִׁמְעָה בְקוֹלִי תִּהְיֶינָה אָזְנֶיךָ קַשֻּׁבוֹת

לְקוֹל תַּחֲנוּנָי׃ אִם־עֲוֺנוֹת תִּשְׁמָר־יָהּ אֲדֹנָי

מִי יַעֲמֹד׃ כִּי־עִמְּךָ הַסְּלִיחָה לְמַעַן תִּוָּרֵא׃

קִוִּיתִי יְהוָה קִוְּתָה נַפְשִׁי וְלִדְבָרוֹ הוֹחָלְתִּי׃

Psalmus CXXX.

Stasimon.

Te, Deus, ex imis supplex in vota vocavi
Gurgitibus: tangant te mea vota, Deus.
Exaudi tantum: vocem perpende precantis,
Inque aures veniat nostra querela tuas.
Tu si quæsitor, quot sunt, scrutabere culpas,
Te sceleris nemo judice purus erit.
At placandus eras semper mitisque precanti:
Placandum et mitem te pia turba colet.
Ipse Dei totis adventum viribus opto:
Illius in verbis spesque fidesque mea est.

נַפְשִׁי לַאדֹנָי מִשֹּׁמְרִים לַבֹּקֶר שֹׁמְרִים
לַבֹּקֶר׃ יַחֵל יִשְׂרָאֵל אֶל־יְהוָה כִּי־עִם־יְהוָה
הַחֶסֶד וְהַרְבֵּה עִמּוֹ פְדוּת׃ וְהוּא יִפְדֶּה
אֶת־יִשְׂרָאֵל מִכֹּל עֲוֺנוֹתָיו׃

Mente animoque Deum petimus de nocte,
priusquam
Succedit vigili, qui fuit ante, vigil.
Este Deo freti, cives: placabilis ille est,
Et largâ miseris auxiliatur ope.
Civibus ipse suis idem populoque sacrato,
Sordibus abstersis, eluet omne nefas.

תהלים קמ"ג

מִזְמוֹר לְדָוִד יְהוָה שְׁמַע תְּפִלָּתִי הַאֲזִינָה
אֶל־תַּחֲנוּנַי בֶּאֱמֻנָתְךָ עֲנֵנִי בְּצִדְקָתֶךָ : וְאַל־
תָּבוֹא בְמִשְׁפָּט אֶת־עַבְדֶּךָ כִּי לֹא־יִצְדַּק
לְפָנֶיךָ כָל־חָי : כִּי רָדַף אוֹיֵב ׀ נַפְשִׁי דִּכָּא
לָאָרֶץ חַיָּתִי הוֹשִׁיבַנִי בְמַחֲשַׁכִּים כְּמֵתֵי
עוֹלָם : וַתִּתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי בְּתוֹכִי יִשְׁתּוֹמֵם
לִבִּי : זָכַרְתִּי יָמִים ׀ מִקֶּדֶם הָגִיתִי בְכָל־
פָּעֳלֶךָ בְּמַעֲשֵׂה יָדֶיךָ אֲשׂוֹחֵחַ : פֵּרַשְׂתִּי יָדַי
אֵלֶיךָ נַפְשִׁי ׀ כְּאֶרֶץ־עֲיֵפָה לְךָ סֶלָה :

Psalmus CXLIII.

Psalmus David.

EXAUDI gemitus nostramque attende querelam,
Siqua, Deus, pietas est tibi, siqua fides.
Neu mihi sis judex: judex si moveris urnam,
Qui reus excuset se tibi, nullus erit.
Afflictâ miseri vitâ vexamur ab hoste:
In tenebris, tanquam morte peremptus, eo.
Ergo sollicitâ mens fluctuat anxia curâ,
Pectoraque assiduis indoluere malis.
Sed tua facta tamen memini tempusque peractum,
Et studium in gestis ponitur omne tuis.
Te, Deus, affecto manibus te pectore toto:
Te sitio, pluvias ut sitit ustus ager.

מַהֵר עֲנֵנִי ׀ יְהוָה כָּלְתָה רוּחִי אַל־תַּסְתֵּר פָּנֶיךָ
מִמֶּנִּי וְנִמְשַׁלְתִּי עִם־יֹרְדֵי בוֹר ׃ הַשְׁמִיעֵנִי
בַבֹּקֶר ׀ חַסְדֶּךָ כִּי־בְךָ בָטָחְתִּי הוֹדִיעֵנִי
דֶּרֶךְ־זוּ אֵלֵךְ כִּי־אֵלֶיךָ נָשָׂאתִי נַפְשִׁי ׃
הַצִּילֵנִי מֵאֹיְבַי ׀ יְהוָה אֵלֶיךָ כִסִּתִי ׃ לַמְּדֵנִי ׀
לַעֲשׂוֹת רְצוֹנֶךָ כִּי־אַתָּה אֱלוֹהָי רוּחֲךָ טוֹבָה
תַּנְחֵנִי בְּאֶרֶץ מִישׁוֹר ׃ לְמַעַן־שִׁמְךָ יְהוָה
תְּחַיֵּנִי בְּצִדְקָתְךָ ׀ תוֹצִיא מִצָּרָה נַפְשִׁי ׃
וּבְחַסְדְּךָ תַּצְמִית אֹיְבָי וְהַאֲבַדְתָּ כָּל־צֹרֲרֵי
נַפְשִׁי כִּי אֲנִי עַבְדֶּךָ ׃

Jamjam fractum animo tu me, Deus, ocyor audi,
Quo levis averso pulvis et umbra forem.
Mane tuum agnoscam, spes, O Deus, una, favorem.
Te veneror: rectam tu mihi pande viam.
Me precor hostili salvum, Deus, eripe turbâ,
O qui pro latebris confugioque mihi es.
Da faciam nostro quæ sint tibi grata: piorum
Sic loca deveniam ductus amore tuo.
Per te siqua tui tibi cura est nominis, oro,
Perque fidem, salvo da mihi pace frui.
Da mihi pace frui: concide benignior hostes,
Quique tuum vexant (sum tuus) ipse neca.